

Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem.

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

15, 26-27. 16, 12-15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

²⁶ «Cum vénerit Paráclitus,
quem ego mittam vobis a Patre,
Spíritum veritátis, qui a Patre procedit,
ille testimónium perhibébit de me;
²⁷ sed et vos testimónium perhibétis,
quia ab inítio mecum estis.

[16, 1-11]

¹² Adhuc multa hábeo vobis dícere,
sed non potéstis portáre modo.
¹³ Cum autem vénerit ille,
Spíritus veritátis,
dedúcet vos in omnem veritátem;
non enim loquétur a semetípso,
sed quæcúmque áudiet, loquétur
et, quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis.
¹⁴ Ille me clarificábit,
quia de meo accípiet et annuntiábit vobis.
¹⁵ Omnia, quæcúmque habet Pater, mea sunt;
proptérea dixi quia de meo áccipit
et annuntiábit vobis».

Verbum Dómini.